

laudem dixi tibi &c. Agit potissimum de VII. *Impedimentis* pie recitandi Horas et de tempore, quo recitandae vel cantandae sint. Si sententiam poscar, hunc ab *Henrico* abjudicem, cum quia in neutro *Cod.* nostro ejus Nomen praefert, tum, quia secunda, coeva tamen manus titulo adscripsit *Hubertus* aut *Humbertus*, quanquam hujus nominis aliquem de Horis Canonicis scripsisse non meminerim.

XXXVIII. fol. 364. *Qualiter cognoscatur an aliquod peccatum sit mortale aut veniale.* Initium: *Ad sciendum, quando peccatum aliquod sit mortale uel veniale, sunt notande quinque regule &c.* Hae Regulae dein ad septem Species peccatorum, quae *Capitalia* dici solent, adplicantur. Opusculum adfines est *gersoniani de Differentia Peccatorum. T. II. col. 485.*

XXXIX. fol. 366. p. 2. *Tractatus de oratione excellentissimi sacre pagine doctoris Magistri Johannis. De Garfone Cancellarij,* hoc initio: *Multum enim valet deprecatio iusti assidua &c.* Est tantum Pars II. *Tractatus illius de Oratione et suo valore. Opp. T. III. col. 251.*

XL. fol. 370. Praemisso XXIV. Capp. Elencho *Sequitur Tractatus de Fascinatione.* Initium est: *Cum secundum philosophum in 3^o posteriorum demonstrationis et scientie principium sit &c.* Materiam Scriptor paullo post ita exponit: *Quid ergo significetur nomine fascinationis, et quid*

sit fascinatio, et cuius partis anime sit hec passio siue operacio et utrum sit passibilis et per quem modum contingat unum ab aliquo fascinari uel fascinare Rogatus et interrogatus a quibusdam socijs et amicis ea que de hac materie videre potui et habere ab auctoribus inde dicta presenti tractatu duxi in unum — ordinanda &c. Solenni majorum nostrorum incuria, quae maximum negotium facessit *Codicum* Censoribus, nomen Autoris omissum est, quem ex *Academiae Vindob.* Doctoribus Theologis unum aliquem habeo.

XLI. fol. 389. *Sermones N. Dinklspübel XII.* Sunt vero: *De sancta Trinitate. De assumptione marie III. De Natiuitate beate virginis. De omnibus sanctis III. In natiuitate domini II. De ingratitude. De sancto jobanne evangelista.* *Sermones Nicolai nostri,* de quo jam alias diximus, aevo suo auide a doctis lectos fuisse, testis est *Aen. Silvius epist. 165.* An vero unquam prelo subjecti sint hi praesentes, dicere non habeo, nisi forte *Dominicalibus* adhaereant, qui *Argentinæ 1496. 4.* lucem aspexisse traduntur.

DLXXXI.

Codex chartaceus lat. Sec. 656 XV. Folior. 228. 4. non una manu, partim lineis longis, partim per 2. columnas descriptus, olimque *Fratrum sancte crucis Indusseldorp,* ut praenotatur, continet: I. *Cordiale de quatuor Nouissimis,*

2217

A S C E T I C I

2218

uissimis, cujus initium: *Memorare nouissima tua et in eternum non peccabis. eccl. VII. Sicut dicit beatus augustinus in libro suarum meditationum plus vitanda est &c. Vide, si lubet, quae ad Codd. 2. sequentes diximus.*

II. fol. 54. p. 2. *Incipit Paradisus Anime.* Additum alia manu: *editus a magistro alberto magno fratre ordinis fratrum predicatorum.* Initium: *Sunt quedam vicia que frequenter virtutum speciem assumunt &c.* Libellus faepenumero variis linguis excusus extat T. XXI. Operum Lugd. 1651. f.

III. fol. 97. *Preceptorium.* Est illa Decalogi Expositio, quam Cod. CCCCXV. *Henrico de Vri-maria O. Erem. Aug.* tribuimus. Incipit: *Audi Israel precepta domini &c.* Ad Cod. cit.

IV. fol. 126. *Speculum humane saluacionis.* Textus nudus absque Figuris, quas Cod. CLVII. indicavimus. Habet vero illud singulare, quod praeter *Probemium* ibi memoratum alia gaudeat Praefatione, quae eodem rudi Rhythmi genere scripta ita inchoat: *Qui ad iusticiam erudiunt multos fulgebunt quasi stelle in perpetuas eternitates.*

*Hinc est quod ad erudicionem multorum librum decreui compilare
In quo possunt legentes erudicionem accipere et dare.*

Futurum porro, ut quivis ex hoc Libro sibi opportuna deligere queat. Id, quod illustrat Autor parabola:

*Abbas quedam quercum valde magnam in se stantem habebat
Quam propter amaritudinem (angustiam?) loci precidi oportebat
Qua precisa officiales ad eam conuenerunt
Et singuli quod suo officio congruebat elegerunt
Magister fabrorum inferiorem truncum abscidit
Quia sibi ad fabricandum aptum vidit.*

Idem fecere *Magister sutorum, molendinorum, Pistorum, Sacri-porcorum, edificiorum, piscatorum, sta, Cellarii, Coquine; quin*

*Excerptor librorum carpit gallas forte centum
De quibus temperauit sibi atramentum.*

Praefationem hanc excipit *Indiculus alphabeticus Nominum Bi-blicorum cum significatu mystico, et tum demum*

Incipit probemium cuiusdam noue compilacionis &c.

ut *Cod. supracit.* Opusculum integrum est XLV. Capitum et ad calcem ita subnotatur: *Finitum et completum est hoc speculum salvationis humane per me Gotfridum de beynsberch ipsa die Agate sancte uirginis de sero tarde Anno Millesimo Quadringentesimo Quinquagesimo 4^o.* Quem annum non dubito superari ab Exemplis quibusdam Impressione tabellari excusis.

V. fol. 174. *Sermo Magistri Gerardi Groet (Magni) de focaristis.* Et ad calcem: *Explicit sermo de focaristis venerabilis viri Magistri gerardi dicti groit de dauantria* (adjectum in margine: *Dyaconi*) *Quem predicauit communi clero ecclesie traiectensis Anno domini MCCCLXXXIII In vigilia assumptionis beate marie uirginis. Qui erat magnus Zelator castitatis et malleus hereticorum.* Nomine *Focaristarum* Clerici veniunt, qui ancillas five coquas domi suae ad focum alebant, unde et hae *Focariae* dicebantur, ut habes ad *Cod. CCCXIX.* five *Propositiones* Nostri XXIV. de eadem materia, ubi etiam *Sermonis* praesentis injecta est mentio. Incipit is: *Recedite, recedite. exite inde. pollutum nolite tangere. exite de medio eorum. Ysaie LII.* *Patres et domini venerabiles hec exhortacio et iussio est principaliter dei fugam malorum suo populo iubentis &c.* In XXVI. *Dicta* distributus est *Sermo*, quibus *Hominibus* Deo sacris graviter animi corporisque puritas inculcatur. Ac-

cedit ad finem *Autoris* *Protestatio*, quae incipit: *Ego gerardus dictus teutonice groyt coram omnipotenti deo coram omnibus sanctis et coram vobis et omnibus protestor &c.* videlicet se sua omnia e *divinis Literis* et *PP.* *Scriptis* hausisse, *saluo semper Iudicio sacrosanctae romane ecclesie.* Concludit: *Si tamen quod absit tale quid (imputatio errorum) reperiretur in literis principis populi et domini nostri episcopi (Traiectini, qui ei praedicationem interdixerat) respondeo quod beatus Bernardus ad literas quasdam summi pontificis cum assensu malo (assensum malis) prebuisset, respondit, videlicet pontificem nostrum aut circumuentum mendacijs aut importunitate victum.* Alio testimonio subsequo *frater Symon de Penbeym sacre Theologie doctor* se obstringit ad *singula puncta in dicto Tractatu contenta* defendenda. Sed obiit *Gerardus* anno post, nempe 1384. 20. *Aug.* teste *Miraeo*, *cujus Auctarium ad Tritheimii Scriptt. Eccl. p. 82.* uti et ipsum *Tritheimium* etiam in *Catal. Viror. Germ. illustr.* consule. Exemplum nostrum multis emendationibus a secunda manu scatet.

VI. fol. 225. Incipit quedam noua epistola pro instructione episcoporum et prelatorum et tocius ecclesie reformatione per quendam egregium doctorem parisius cuidam nouello episcopo ad eius requestam destinata. Ejus initium: *Scriptum est Melius est nomen bonum quam diuicie multe, et alibi scriptum est,*

2221

A S C E T I C I

2222

est, beatas fore respublicas si eas sapientie professores gubernauerint &c. Ad rem magis accedit his verbis: Itaque pater in christo reuerende et michi preceptor prestantissime quoniam fama vestra nomen bonum habet quod post susceptum cure pastoralis officium zelus vestraque caritas feliciter inardescit velle et mala amouendo et bona promouendo curam pastorem ut ait paulus ad thymoteum fideliter et diligenter gerere. Visum est non esse inutile super hac arte arcium animarum regendarum que ut patet in pastorali gregoriij ponderatissima est. aliqua qualiacunque auisamenta scribere sub vestre tamen paternitatis benigna correctione &c. Si quid video, Job. Gersonii est Epistola ad Petrum de Alliaco a. 1395. ad Infulas Anciensis adsumtum, quem, quod in decennium Theologiam docentem audivisset, Praeceptorem suum compellere in more habuit. Latuit ea, ut videtur, Procuratores Editionis Gerson. quam Dupinianam vocant, locanda ejus Edit. Tomo II. Parte 4. Opportunissima porro est novis Pastoribus. Libri, quos commendat, sunt: *Vite patrum. collationes patrum. pastorale gregorii. lactancius de diuinis institutionibus. ewangelia sed maxime Jo. et luce. Epistole pauli. Decretum manipulusque curatorum* (Guid. de Monte Rocher). *uita christi de recenti compilata* (Ludolphi Sax. Carthusiani?) *etiam 2^a 2^e sancti thome. Summa de vicijs et virtutibus* (Guil. Peraldi) *et tractatu-*

li varij qui iam parisijs inueniuntur &c. Sub finem V. *Puncta* maxime commendat: Iteratas Synodos provinciales; in conferendis beneficiis nullius nisi scientiae et virtutis respectum; in Synodis et Praedicationibus inculcare Decalogum, Opera caritatis, bonorum operum fructus, terrorem iudicii, inferni et mortis; propriam in Examine promovendorum aut ordinandorum praesentiam; demum insertionem horum Monitorum in Pontificale, et distributionem Exemplarium descriptorum inter Episcopos et Curiales Romanos.

DLXXXII.

Codex chartaceus germ. Sec. ⁴⁴¹ partim XV. partim XVI. Folior. ⁴⁴² 103. 4. currente calamo exaratus complectitur: I. *Cordiale quatuor Novissimorum*, opusculum post editionem Colon. per Petrum de Olpe 1477. 4. quam principem putem, Sec. XV. frequentius pluribus linguis impressum, cujus Autorem ignoro, nisi is sit *Jacobus Gruytradius* Carthus. cui Bibliographi *Tractatum de Quatuor Novissimis* adsignant, quin uni alicui adlubuisset ejus nobis initium tradere. Titulus germanice sonat: *Dis ist das buoch des Hertzen vnd suit von den fier letsten sachen.* Initium: *Gedenk an die letsten Zit So sündest du ewenlichen niemer &c.* Abrumpitur in Cap. inscripto: *Wie mengerlay vnderschaid ist der Hetschen pin vnd wievil aigenschaf-*
ten,